

II.

REGNUM MORTUORUM.

Nro. 66.

Differtatio Historico-Statistica.

Elysium-Meum. Die Martis. 18 Sept. 1810. (Neov. 7. Sept. 1810.)

De Republica quondam septem foederatarum
Provinciarum vulgo Hollandia.

Concordia res parvae crescunt, discordia ma-
ximae dilabuntur.

Profecto asseverare licet: Ducatus Hollan-
dicos veri nominis Prophetas fuisse — quos
quisvis talem aureum numum possidens, quo-
tidie legere & consulere poterat — quivis
ferme talem aureum prophetam in sacco se-
cum gestabat — factum n.ominus est: ut
hic Propheta aureus vere quidem, at surdis
vatiocinatus auribus: Unione res modicissi-
mas augeri, contra summas per dissensio-
nem everi, confringique. —

Miserum genus humanum! dum egesta-
te sinistraque fortuna vexatur, vires conjun-
git — at opibus affluens, animis distrahitur!

Hoc denique mundi stadium, hic cui-
sus est — hunc Assyrii, hunc Persæ, Car-
thaginenses, Græci, fortesque Romani —
hunc Portugalli, Hispani, & — novissima
ætate Batavi quoque deurrerunt. — Nihil
sub sole novi — si aurum etiam Hollandi-
cum homines admoneat, — & an, quæso,

ulla opportunior admonitio aurea esse, dari, vel excogitari valet? *Maximæ res dilabuntur!* — & jam. —

Primum Troes, fuit Illum Et ingens gloria Tencri — in memoriam nobis revocat nova Statistica. — Ut ephemericum Hetruriæ regnum, quod quam subito in politico horizonte virque ortum animadvertimus, tam velociter occidisse vidimus; ita Regnum Hollandiæ post 4 vitæ suæ aristas desit, extinctum est. —

Dies 24. Maji Anni 1806 erat, quo Lutetiæ Parisiorum Galliam inter & Præpotentes Status Conventio inita, vigore cujus vestustate venerabilis Republica foederati Belgii tardius Batava adpellata, in Monarchiam Regnum nempe Hollandiæ conversa est. Ludovicus ex domo Bonapartina novellum diadema adeptus, in eea Gallia Gvarantiam novæ constitutionis antenuaque in utraque orbis parte assensit. — Die vero 3. Julii 1810 idem Ludovicus ultro regno se solo abdicavit. — Decretum Napoleonis 6 diebus posterius unit Hollandiam Monarchiæ Gallicanæ, ratione ex ea: quod onere debitorum fatiscens, exhaustum immanibus præstationibus, absque commercio, absque reddituum fontibus, destitutum viribus & potentia Independentiam suam conservando impar, Statum eficere non amplius possit.

Hæc ratione Hollandica natio esse desit, posteaquam politicam existentiam duobus sæculis propugnasset, principio secundo aimo-

rum successu gloriaque condecorans, tum
Classibus maria omnia circum, Colonis ad
utramque Indiam illustris, tandem internis
discordiis fracta & convulsa. —

In celebri hoc temporis articulo, quo
Status hic evanescit ex orbe, metropolisque
ejus celebratum Amstelodamum ad tertium
Gallicani Imperii locum delabitur — in hoc
inquam momento sortem Hollandiæ contem-
plari non alliciens modo animum, sed &
doctrinis plena res est. — An sepulcro ce-
lebris viri immorari non placet? — Ortus &
occasus gentium serium spectaculum est, ex
quo viventes adhuc documenta desumunt;
vaticinium rerum his impendentium speculum.

Cel. Rainalius annis circiter 40 Hol-
landiæ occasum & supremum diem prædivina-
vit — ast hic Habacuc vaticinabatur eam a
Vicariis suorum aliquo sub jugum missum
iri — imo contrarium evenit. — Utraque
pars & vicariis & patriotica occubuit. —
Præterea hic Habacuc Propheta parvus erat.

Belgium seu recentiore nomine Germa-
nia inferior, septemque provinciæ, singulares
habuere vires. — Olim pars Germaniæ erat,
Ducibus, Comitibus Dominisque parentes. Ma-
trimonio notabilis pars ad Domum Burgun-
dicam seniore, tum Juniore (Vale-
sia lineam 1360) ab hac ad Habsburgico Au-
striacam devoluta. Maximilianus Imp. Mariam
Pulcram Caroli aud. ultimi hæredem despon-
sando sibi XVII cum Comitatu Burgundicæ
provincias acquisivit, ex his Circulum Burgundicæ.

condidit, a nepote Carolo V. 1548 definitum stabilitumque. —

Germani animum meditatio moveat oportet: Hollandiam & Holvetiam, quae ambae ad Germaniam pertinebant, atque utrumque latus Germaniae patriae tegebant, ambas ab Imperio Germanico descisse, formam reipublicae adoptasse, & utrumque latus dextrum laevumque denudatum reliquisse. —

Septem foederati Belgii provinciae pertinacia & fortitudine suorum Vicariorum ex domo Arausionensi (*Vilhelmi, Mauriti, Frid. Henrici,*) explicatione rei suae maritimae primum praepotenti Philippo II. feliolter renitebantur; 1568—98. sub Philippo III *Inducias duodennes* 1609 exoperatae, denique octoginta annorum bello exacto, commercio Indico Portugallorum maxima parte ad se pertracto amplas extra Europam ditiones sui Juris fecere, atque Philippum IV. *Pace Monasteriensi* 1648 ad se Imperantem agnoscendas adegerunt. — Nexu cum Germanico Imperio jam prius se liberarunt, atque ab eo *Independendiae* agnitiolem suam, quamquam non expressa declaratione, factis nihilominus subsequente consecuta sunt. —

Foederatae postea provinciae occasionem nactae bello Portugallico Indiarum orient. ditiones (1661—9) suas amplificandi, & circa hoc tempus *universale commercii preponderantia* ea ratione in Europa adeptae, ut auctoritas potentiaque earum singulare ceperit incrementum. —

Hæc fortuna emulationem M. Britanniae Galliaeque excitavit, quo factum: ut Respublica *diversis bellis* implicaretur, quibus majorem jacturam, quam emolumentum tulit. Cum subin 7. foed. provinciæ securitatis propriæ causa Wilhelmum III. Vicarium suum in solio Anglicano obtinendo adjuverent, gradibus, summeque molestis de æquilibrio Europæo bellis involutæ, quin *P. Risvicensi* 1697 et *Ultrajectina* 1713 præter *Urbes præsidiales* emolumentum obtinerent quodpiam. —

Ex hoc tempore Reipublicæ præprimis ob notabilem commercii sui defectum, vires debiliores effectæ, quas recuperare pristinoque flori restituere nequidquam potuit amplius — hæc ratio, quod quamquam partem operæ necessario debuerit in *controversis*, quæ medio tempore inciderent, *Europæ negotiis*, sollicitè nihilominus a belligerando abstinuerit, bellumque omni studio declinarit. — Verum an id, quæso fieri potuit? quo majore contentione externa bella evitavit, tanto acriores domesticæ ortæ contentiones, intestinæ discordiæ. Duabus maritimis Potentiis intersita *Galliae* utpote & *M. Britanniae* continuo partem in maritimis negotiis operæ debuit. Anno 1787 factioni *vicariali* opposita *patriotica* legionum Borussicarum ingressu victa & cedere coacta quidem, ast non ad saniora reducta est; — decretum definitumque est: *dignitatem vicariam ad essentiam Reipublicæ & Constitutionis Batavae pertinere, eam necessariam & essentialem esse quæ Juris publici Batavi quæstio ultro citroque ad hæc*

aeque tempus agitata, & necdum decisa fuit
factionibus & mutuo elidentibus. Ast *Anti-*
vicarialis factio suppressa, non oppressa dura-
vit, Gallique 1793 non *Reipublicae*, sed *Vica-*
rio bellum declaraverant.

Ulteriora & hodierna *fata & facta* *Reipu-*
blicae nos ipsi vidimus, & adhuc viridi in
memoria versantur, prout & adjuncta *sub qui-*
bus & per quos &c. Id dignam animadversio-
ne: populum hanc *republicanum* quadrienni
spatio *regio imperio* ita asseverasse, ut in vius
Regem decedere viderit, non obstante illa
prærogativa quam ad-plus: amplissimi Sta-
tus & gloriosissimi Imperantis — *natura ema-*
nantem partem efficiendi. —

Verum *natura* *Batavis* nullo unquam tem-
pore admodum favit; Anno 1170 *Hollandia*,
Zelandia & ipsa *borealis Flindria* turbine
dirum in modum devastata erat, Anno 1421
aqua ad eam altitudinem increvit, ut ubi
Dorderacum ab *Insula Voorn* separata *avul-*
saque, eluvio terræ tractum, qui hodie *Bies-*
bos audit, inter *Gerudoburgum*, *Gorgum* &
Dorderacum occuparet, in qua 100 amplius
millia hominum vitam amisere — 70 pagi
aquis fatalibus hausti, ut fastigia solum tur-
rium *Ecclesiarum* aliquot prominereant. — An-
no 1532 dimidia pars *Zelandiae* *Insulae* elu-
vione interiit, *Insula borealis Bevelandiae*
tota aquis offusa, & *Insula australis Beve-*
landia tres urbes, quarum *Borsela* caput, co-
piam pagorum, & propemodum dimidium
Continentis amisit. — Sed omnium funestis-

simus erat Anni 1682 dies 26 Januarii, quo aqua ad eam altitudinem iniecit, ut fortalitem Maerspünnen cum bellicis machinis, & omnibus presidariis fatalibus fluctibus abreptum sit; *Zwijck* præcipua Insulæ Schouwen urbs aquis inundata; arx Bommene fortiter munita; disparuit, turris solum relicta tristes arvis monumentum; aggeres adeo destruxit, ut con ulrum in medium: an non præstabilius sit, deserere infelicem patriam, quam porro ei immorari. — Damnum ex hac strage illatum ad 130 millione Flor. æstimatum. Pondus Arusion. haustos per pagos, qui ejus juri obnoxii erant, 50,000 Imp. redituum amisit. — Desolatio horrida erat, & quisvis metuebat, se in ea regione amplius sedem habere non posse.

Hodie spes alit, Hollandiam Galliis unitam firmiorem consisten iam aggeribus emendatis obtenturam. Jam Imperator ibidem expectatur. —

Soi naturalis sterilitas & rerum penuria ex Geographia satis nota & perspecta est. — Qua tamen ratione factum: ut nihilominus omnium rerum ubertas in Republica Æm Batava fuerit, explicant Statistæ, quem felicem statum *Cel. Jos. Scaliger* hoc deprædicabat olim: *Epigrammate*: A ni ois. a soan.

Ignorata tuæ: feram miracula terra: Duxat peregrinis non habitura fidem. Omnia janitum lassat extirpa Minervæ, Lanigeros tamen hino, scimus abesse greges.

Non capiunt operas fabriles oppida vestra
 Nulla fabris tamen hæc ligna ministrat humus.
 Horrea triticæ rumpunt hic frugis æervi,
 Pascuus hic tamen est, non cerealis ager.
 Hic numerosa meri atipantur dolia cellis,
 Quæ vineta colat nulla putator habet.
 Hic nulla, aut certe seges est rarissima lini,
 Linifol tamen est, copia major ubi?
 Hic mediis habitamus aquis, quis credere possit?
 Et tamen hic nullæ Douza, bibuntur aquæ.

Statisticæ adnotationes.

Regni nuper Hollandiæ provinciæ sunt:

a) Hollandia cum Amstelod. & Distr. Mosæ	130	□ mill.	828,542	Incolæ.
b) Brabantia	77	—	239,629	—
c) Drenthe	37	—	39,672	—
d) Geldria	95	—	217,828	—
e) Groninga	50	—	114,555	—
f) Frisia orient.				
cum Javera	56	—	140,000	—
g) T. Isalana	61	—	135,060	—
h) Ultrajectina	23	—	92,604	—
i) Frisia	54	—	161,513	—
k) Zeslandia absque				
Vlissinga	18	—	76,521	—
	574	—	2,046,224	—

Adnot. 2. 1810 in Aprili cecidit Hollandia
 totum ad lævam Rheni oram situm territo-
 rium, cum Insulis: Schouwen, Tholen, aust.
 & bor. Beveland, & Walohria, Gallis in-
 corporatum.